

Johann Nicolaus Quistorp

**Programma Honoribus Paschalibus Salvatoris Nostri Jesu Christi Debellatoris
Mortis, & Inferni Sacrum**

Rostochii: Wepplingius, [1694]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734006187>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

1694. Osterm.

~~M-1256^{68.}~~

1694
PROGRAMMA
HONORIBUS PASCHALIBUS
SALVATORIS NOSTRI
JESU CHRISTI
DEBELLATORIS
MORTIS, & INFERNI
SACRUM,
PROPOSITUM



â
RECTORE
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
JOHANNE NICO-
LAO QVISTORPIO.

S. S. Theol. Doct. & P. P.
ac ad. D. Nicol. Pastore.



Rostochii Typis JOH. WEPPLINGII, Univers. Typogr.

M. 1256 68



Endente in patibulo Creatore, universa
creatura congemuit, & crucis clavos o-
mnia simul Elementa senserunt, inquit,
LEO cognomento MAGNUS *(sermon. VI. de*
Pass. Domin.) Horribile certè tempuserat,
CIVES OPTIMI, tempus passionis Ser-
vatoris nostri, quò ipse Deus in assum-
ptâ Carne acerbissimos pertulit cruciatus, & ignominio-
sissimam sustinuit mortem; Nam & terra inde tremuit,
& caligante sole dies se subduxit, densæq; tenebræ cum
horrore omnes obruerunt. *Sol ne Judæorum facinus aspi-*
cere cogatur, & radios & oculos suos subtrahit, ut loquitur CY-
PRIANUS *Sermon. de Bono Patientia,* & CHRYSOSTO-
MUS *Sermon. de Pass. in Catena.* Non poterat ferre Creaturâ in-
juriam Creatoris, unde Sol retraxit radios suos, ne videret im-
piorum facinora. Hos sequitur SEDULIUS dicens: *Sol nube*
corufcos abscondens radios tetro velatus amictu delituit, tris-
temque infecit luctibus orbem. Disquiritur autem inter E-
ruditos, An Eclipsis hæc, de qua Matth. 27. v. 45. Marc. 15. v. 33.
Luc. 23. v. 44. *Fuerit universalis, an vero particularis?* Parti-
cularem fuisse, vult ex veteribus, ORIGENES contra
CELSUM. Quem sequitur LAURENTIUS VALLA,
ERASMUS ROTERODAMUS, ISAACUS PERERI-
US, Præ Adamitarum fabulosus Author, & BEZA, ex quo
WALÆUS ad. v. 33. cap. 15. Marci. Ego, inquit, *is potius, as-*
sentior, qui de Hierosolymis, & totâ vicina Regione hoc dictum
accipiunt. Nam in Archivis annotari iustius etiam istud prodigi-
um potuit, quoniam fuit Judææ peculiare, familiare est autem
sacris scriptoribus terræ appellatione, etiamsi nihil adjiciatur,
intelligere terram Chanaan, & ἡνὶ pro χώραν. i. e. terram pro Re-
gione reperimus alibi. Confert autem hoc ad prodigii novitatem,
si intellexerimus non modo die Pasce, i. e. in plenilunio, accidisse
hanc solis Eclipsin, sed etiam reliquum orbem illustrante sole,
atq; adeo in ipso meridie, hunc unum orbis terrarum angulum,
in quo tantum facinus patrabatur in densissimis tenebris delin-
isse.

esse. & p. p. Et si universale fuisset hoc prodigium, esset procul du-
 bio omnium Astrologorum monumentis celebratum. Videtur
 autem hoc opponi miraculo prorsus contrario, cum tenebris Æ-
 gyptios obtegentibus, Israelitis solis in terra Gosem Sol luceret;
 tum videlicet Ægyptiis quidem imminens exitium, suis vero par-
 tam libertatem, Deo significante; nunc vero contra Judeis qui-
 dem miserrimam illam Cæcitatem, quâ nunc quoque puniuntur,
 ceteris vero populis mox Exorituram Evangelii lucem Cœlitus de-
 nunciantem h. u. c. Verum ut superior ratio, (sc. quod yñ pro
 xōes aliquando sumatur, confer ERASMI SCHMIDII No-
 tas ad v. 45. c. XXVII. Matthæi) concludit à particulari, sic
 altera parum movere quemquam potest; Cum hujusmo-
 di allegoriæ non soleant argumenta firma suppeditare.
 Hinc cum omnes Evangelistæ constanter asserunt, tenebras
 illas supra universam terram (per universam autem terram
 intelligimus eam, quæ Solem supra Horizontem habuit,
 & in quâ Eclipsis hæc observari potuit) exporrectas, &
 quia LUCAS addit C. L. Solem, qui est totius mundi ocu-
 lus, fuisse obtenebratum, ideo proprietati verborum con-
 stanter inhæremus, quod & Chrysostomus & alii veterum fe-
 cere. Nec prætermittam planè ab Historiographis Ethnicis
 hanc Eclipsin testatur EUSEBIUS in Chronico ad Annum
 Passionis Dominicæ: qui & citat, PHLEGONTEM ADRIANI li-
 berum, omnium Chronographorum accuratissimū (Teste
 GERHARDO in Harmon. Pass. C. XVI. p. m. 765.) OLYM-
 PIADUM scriptorem, qui hujus obtenebrationis memi-
 nerit. Quarto autem (inquit,) Anno CCII. Olympiadis (qui fuit
 principatus Tiberii XVII.) Magna & Excellens inter omnes, quæ
 ante eam acciderant, defectio solis est facta. Dies horâ VI. ita in te-
 nebras à noctem versus, ut stella cœlo visa sint, terræq. motus in Bi-
 thynia Nicenæ Urbis multas ades subvertit. Hæc cum & citat
 B. AVUS NOSTER in Annotatis ad. v. 45. Cap. 27. Matth.
 addit: Cum defectus Solis (scribit HIERONYM.) nunquam
 nisi ortu lune fieri soleat, nulli autem dubium est, Pascha tem-
 pore lunam fuisse plenam. Et ne forsitan videretur umbra ter-

re, vel orbis Luna Soli oppositus, breves & ferrugineas fecisse tenebras, trium horarum spatium ponitur, ut omnis causanti-um occasio tolleretur. Eruditissimus etiam GROTIUS, quem & producit WALÆUS supra cit: Cap. Matth. cum Pblegontis testimonium adducit, inquit: cum Majores ante visis memorat, ita ut mero meridie velut nox esset, satis demonstrat, non fuisse proprium Judæa hoc spectaculum. Pergit: EUSEBIUS Græcum alium citat, quem non nominat ita scribentem de hac re: ὁ ἥλιος ἐπέπεν, ἡ σελήνη ἐπιδέθη. Νικαίας πρὸ πόλεως ἔπενεν. TERTUL- LIANUS primus inter Patres Latinos, Apologetico: Cap. 21. Tamen suffixus multa mortis illius propria ostendit insignia. Nam spiritum cum verbo sponte demisit, preventivo carnificis officio. Eodem momento dies, medium orbem signante sole, subducta est. Deliquium (PAMELIUS in adnot: in Apo- logetic. nō 324. inquit: rectè id deliquium dicit Tertullia- nus. Nam non fuisse naturalem solis ostendit viva rati- one D. AUGUST. Lib. 3. de C. D. c. 15. & Epist 80. ad Hesich.) utiq; putaverunt, qui id quoq; super Christo predicatum non sci- erunt, & tamen eum mundi casum relatum in Archivis vestris habetis. Ubi non video (sunt verba GROTII) cur Archiva alia quàm acta publica Romana accipiamus, ad quæ ni fallor & LUCIANUS Martyr provocat apud EUSEBIUM. Et cum mundi casum vocat, satis cavet, ne judæa peculiaris crederetur. Quod si vel maximè aliquot Chronologi hujus Eclipseos non meminerunt, id veritati neutiquam præjudicat, sed tri- buendum id vel ipsorum incogitantia, vel odio Christiani nominis, ac nota est regula: quòd IN HISTORICIS U- NIUS FIDÈ DIGNI ASSERTIO MULTORUM TACITÆ PRÆTERITIONI SIT PRÆFERENDA. Ac si temporibus JOSUÆ, & EZECHIAË duplo auctus est dies non tantum in terrâ judæorum, verum etiam in orbe universo Josu. 10. v. 14. Esai. 38. v. 8. Ec quid ablonum, si statuatur Filio Dei mortem pro totius mundi peccatis sustinente, totum mundum lugubrem quasi habitum in- duisse.

duisse. Magnus verè erat dolor, quem tristes tristis diei parā
 sceves condolentibus Christum patientē adferebant tene-
 bræ: sed jam Major lætitia est, quam Christo resurgenti
 congratulantes ex hodiernæ diei possumus capere luce.
Siquidem hæc ipsa dies est, quem fecit Dominus. Cæteros dies
 Sol suo facit exortu, hanc autem ille, qui Soli omne dat lu-
 men ipsiq; fulgorè suo maximas offundit tenebras. *Hæc est*
dies illa, quam fecit Dominus à diebus illis longè diversa, qui
mundi procreationis initio sunt constituti ait GREGOR:
 NISS: Orat: i. de CHRISTI *resurrect.* Quibus gemina habent
 AUGUSTINUS sermon. 136. de temp. MAXIMUS *Ho-*
mil. 3. de resurrect. Domini, HUGO DE, S. VICTORE & alii.
 Singularem quidem ut dies luce corruscabat nox illa, quā
 ex virgine oriebatur Lux mundi; longè verò clariori hæc
 gaudet claritate, quam præterita nox produxit, illa si-
 quidem occiduum invexit Solem, hæc autem nunquam
 amplius obiturum. Illa hybernas, obscuras, nempe fri-
 gidas & breves dies, hæc autem claram & illustrem, & in
 æternum duraturam. Hodie *Επιβίαιον* illud *I. Cor. 15. v. 54.*
audire cogeatur Diabolus cum sua morte: Mors absorpta
est in victoriam: Ubivus mors aculeus; contigit enim docen-
 te CYPRIANO *Expos. in symbol. Apost.* SATANÆ quod
 Piscis solet, qui, si hamum escā conseptum rapit, non solum
 escam cum hamo non removet, sed & ipse de profundo
 esca futurus educitur: sic is, qui mortis habet imperium,
 rapuit quidem in mortem corpus JESU, non sentiens in
 eo hamum divinitatis inclusum, sed ubi devoravit, hæsit
 continuo ipse, & disruptis inferni claustris, velut de pro-
 fundo tractus traditur, ut cæteris esca fiat. Mortuus qui-
 dem est justorum omnium iustissimus, sed mortem vicit
 moriendo. Mors CHRISTI tot seculis sperata, tot annos
 rum centuriis expectata, tot desideriiis, ac gemitibus opta-
 ta, tot *Vatum* oraculis denuntiata, tot *sacrificiorum* differen-
 tiis adumbrata, in vitam nos omnes restituit. Hæc unā mor-
 te vivimus, aliter æternum morituri, nisi illa præcessisset,
 æternorum exilio damnandi, nisi illa patriæ, quam perdi-
 dera-

deramus restituisset, æterna premendi servitute, nisi mors ista in libertatem asseruisset, vinculis perpetuis, immiti æternitatis carcere damnandi, nisi mors Christi nos exsol-
visset. Una igitur morte vivimus omnes, morituri omnes sine hac morte. Vivit autem jam *Dominus Jesus*, qui in cruce nostri causa est mortuus: *Surrexit sicut dixit*. Surrexit ut piè credimus sepulchro adhuc clauso, saxoq; consistente fixo, in terras prodiit. Saxum avolutum *Marc. 16. v. 4.* conspicunt mulieres. Cæcus autem sit, qui non videat, saxi ablationem non ob resurrectionem, sed resurrectionis manifestationem esse factam, ut mulierculis de rei veritate constaret, cum dubitatione adhuc essent plenæ, adeoq; non facile credituræ, Christum resurrexisse, licet Angelus id dixisset, lapis autem tumulum adhuc operuisset, ut visus exploratione uti non potuerint. Non elumbe pro nostra stabiliendâ sententia est argumentum, quod D. PAULUS nobis suggerit *Rom. 1. v. 4.* rotundè affirmans: *Christum potenter declaratum Filium DEI fuisse per hoc, quod resurrexit à mortuis*. Jam si dicamus eum operâ *Angeli auxiliatricis* indiguisse, aut ulum esse, qui sepulchrum aperuerit, quâ, quælo ratione, resurrectio ejus invictè probabit, quod filius Dei sit; injurii igitur in Christi majestatem sunt, pugnantes contra nos similitudine ex *Actis Apostolicis c. V. v. 19.* depromptâ, ubi Angelus januas carceris referabat, captivosqve discipulos educebat. Hi enim erant *ἑλάνθρωποι*, non *ἱερόδωμοι*, qualis Christus est, non indigus alieno ministerio ad declarandam suam potentiam, cum in primis misero exinanitionis statu fuerit tunc exutus. Sed habemus adhuc alia sententiæ nostræ fulcra; Quid enim dicam *de Christi* resurgentis corpore, erat illud quidem verum, & numerò idem, quod in cruce pependerit, sed glorificatum, spirituale, potens (*Gam Apostolo Philipp. 3. v. 21. 1. Cor. 15. v. 43. 44.* loquar) ac infirmitatibus hujus vitæ non amplius obnoxium, quali & nos in cœlis sumus gavisuri. Dicant contradicentes, num taliter qualificato (sit fas ita loqui) cor-


-pori obstaculum quoddam objici possit, quo minus horsum
 isthorsum pro lubitu semet possit agitare. *Absit ut tantum in-
 firmitatis demus Christo* inquit, MUSCULUS ipse Calvinia-
 nus *Loc. Com. probl. tot.* Aut timetis, ne penetratio dimensio-
 num absurdè concedatur? Abjicite metum, vestrumq; ce-
 rebellum stupidum paulisper coarctate. Non enim à qua-
 litate corporis naturalis non glorificati, sed terreni, & me-
 re humani, ad qualitatem supernaturalis, spiritualis, cœ-
 lestis, & quod maximum est, in Divinæ naturæ ipsissimam
 hypostasim assumpti, colligere par est, physica scientia hic
 conticescat muta, cum res hæ extra ejus Sphæram sint po-
 sitæ. Si Physicam hic tutò consulere licet, & non nisi quæ
 eidem conveniunt credere, ipsam quoque resurrectionem
 tandem inficiabimur cum *Philosophis-Atticis* Act. 17. v. 32.
 eam ridentes. Si communem Patrum, ac Theologo-
 rum sententiam de Christi nativitate clauso utero factâ,
 sequimur, quid nî dicamus, Eum, qui mortalis clauso ute-
 ro in auras vitales partu edipotuit, multò magis immor-
 talem factum claustra sepulchri transire potuisse. Solent
 & *Religionis nostræ Antistites* iis quoque ex rebus, quas natura
 fert, simulachra quædam divinissimæ, quæ corpus glorifi-
 catum pollet, subtilitatis afferre. Perinde ut radiis sola-
 ribus, nihil in universum obstare potest, quominus vitra &
 fenestras sibi objectas penetrent: veluti ignis in ferrum se in-
 sinuat penitissimè, ut totam ejus massam impleat & pene-
 tret, gemellum in modum corpori lucidissimo, clarissimo
 subtilissimo, quali CHRISTUS nunc omnesque electi in
 cœlis gaudent, haut absurdè idem tribuitur. Patrum no-
 bis ad stipulantium testimonia quàm plurima ex CHRYSO-
 SOSTOMO, NAZIANZENO, AUGUSTINO, ENTHY-
 MIO, BEDA, & aliis collegit optimus noster GERHAR-
 DUS in *aurea sua Harmon. part. de Resurrect. & Accens. Christi.*
 C. 1. quæ hic inferere paginarum non admittit modulus.
 Hæc apertæ veritatis lux clausos quorundam Adversario-
 rum perculit oculos, uude CALVINUS ipse in Harmon.
 Evan-

Evangel. agnoscit. Christum ante surrexisse. quam ab Angelo sepulchrum
 aperiretur. MUSCULUS Comment. in Matth. c. 28. supra dixi, (inquit)
 meo iudicio non ob id esse devolutum lapidem ab ostio monumenti per mini-
 sterium Angeli, ut aperto monumento liceret Christo jam rediivo in lu-
 cem progredi & resurgere (absit ut tantum infirmitatis demus Christo)
 sed ut fieret fides mulieribus, & Apostolis, Christum surrexisse, apertum
 est sepulchrum, ut possit ostendi vacuum, non ut devoluto demum saxo per
 Christi resurrectionem vacuaretur, cum illo excitato jam ante vacuum fu-
 erit. Hæc sententia verisimilior videtur, & glorie Christi competentior h. u. c.
 Quibus MUSCULI verbis fideliter repetitis AUGUSTINUS
 MARLORATUS in Catholic. l. Expos. N. T. ad cap. 28. Matth. v. 2.
 sequentia adjicit: Tamen si non desint, qui dicant. Devoluto lapide operâ
 Angeli ab ostio, tunc Christum surrexisse, sine ullo miraculo. Verum qui
 sua virtute corpus suum excitare potuit in sepulchro, eadem virtute potuit
 sepulchro egredi ocluso ostio grandi illo saxo: ut miraculo egressus, nulla
 operâ Angeli. Et ipse CHAMIER Tom. 2. Panstr. L. VI. c. 2. n. 4. fol. 101.
 Col. 1. nobis haud obscure patrocinator: dum egressum è condi-
 torio ocluso propter corporis Christi subtilitatem optimè fieri
 potuisse defendit, utpote quod tunc in statu gloriæ fuisset, exutâ
 mortalitate, deposito Exinanitionis statu. O divinisimum veritatis
 robur, quod vel inter sibi inimicos tandem reperit assertores! Atq; hæc
 sunt, quæ de miraculosa universali Eclipsi, ac de rumuli illa pe-
 netratione mirificissimâ in medium proferre pro ratione tempo-
 ris placuit. Nostrum erit, CIVES ACADEMICI FULGIDISSI-
 MI, ut Venerabile hoc tempus, quo Festis undiq; gaudiis sirepunt templa,
 sanctum ac solenne habeamus, divina ejus miranda nobiscum volumus,
 ac revolvamus, quantum Salvator mellitissimus nobis præstiterit perpen-
 damus, quid inde in nos salutis ac utilitatis derivetur, ponderemus, firmi-
 ter consiliumus persuasi, fore, ut tandem aliquando primogenitus ex mor-
 tuis, qui rediit ex clauso migravit tumulo corpora nostra è terre sinu
 evocet, & gloriosissimo suo corpori quæ propter sit redditurus. O tempus ex-
 optatissimum, quod talia meditando suggerit ansam! O horam beatissimam,
 quæ nobis tanta promittit bona! Ne tantillum sanguinis Christiani ha-
 beat, est necesse, quem hæc abundantissimi lætitiæ gaudii non cersundant,
 & ad grates ardentissimas stimulos haud subdant efficaces. Pie perquam
 GREGORIUS Homilia 21. in Evangel: censuit, esse indignum
 valde, ut hodierno die laudes debitas taceat lingua carnis,
 quò surrexit Caro Auctoris.

P. P. Sub Sigillo RECTORATUS, ipso die Paschali,
 seu VIII. Aprilis A. O. R. M D CXCIV.

pori obstaculum quoddam obijci
 isthorsum pro lubitu semet possit a
firmitatis demus Christo inquit, MUS
nus Loc. Com. probl. tot. Aut timetis,
 num absurdè concedatur? Abjicite
 rebellum stupidum paulisper coar
 litate corporis naturalis non glori
 re humani, ad qualitatē supern
 lestis, & quod maximum est, in Di
 hypostasī assumpti, colligere par
 conticescat muta, cum res hæ extr
 sitæ. Si Physicam hic tutò consule
 eidem conveniunt credere, ipsam
 tandem inficiabimur cum *Philosoph*
 eam ridentes. Si communem
 rum sententiam de Christi nativ
 sequimur, quid nī dicamus, Eum,
 ro in auras vitales partu edi potuit
 talem factum claustra sepulchri tr
 & *Religionis nostræ Antistites* iis quoq
 fert, simulachra quædam divinissi
 catum pollet, subtilitatis afferre.
 ribus, nihil in universum obstare po
 fenestras sibi objectas penetrent: ve
 sinuat penitissime, ut totam ejus n
 tret, gemellum in modum corpori
 subtilissimo, quali CHRISTUS n
 cœlis gaudent, haut absurdè idem
 bis ad stipulantium testimonia quæ
 SOSTOMO, NAZIANZENO, AU
 MIO, BEDA, & aliis collegit optin
 DUS in aurea *sua Harmon. part. de R.*
C. 1. quæ hic inferere paginarum
 Hæc apertæ veritatis lux clausosq
 rum perculit oculos, uude CALV

inus horsum
 ut tantum in
 se Calvinia
 io dimensio
 strumq; ce
 enim a qua
 rreni, & me
 ritualis, cœ
 ipssimam
 a scientia hic
 ram sint po
 non nisi quæ
 arrectionem
 Act. 17. v. 32.
 Theologo
 utero factâ,
 s clauso ute
 agis immor
 sse. Solent
 quas natura
 pus glorifi
 t radiis sola
 inus vitra &
 ferrum se in
 leat & pene
 , clarissimo
 que electi in
 Parrum no
 ex CHRY
 D, ENTHY.
 GERHAR
 cens. Christi
 it modulus.
 Adversario
 in Harmon.
 Evan



the scale towards document